

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Samuelis De Cocceji, Henr. Fil. Sacræ Regiæ Majestatis
Borussicæ Magni Cancellarii, A Consiliis Sanctioribus
Status Et Rei Bellicæ, Ordinis Nigræ Aquilæ Equitis Etc.
Jus Civile Controversum Ubi ...**

Opus Ad Illustrationem Compendii Lauterbachiani ...

Cocceji, Samuel von

Lipsiæ, 1766

LIB. XII. TIT. IV. De Conditione Causa Data Causa Non Secuta.

urn:nbn:de:gbv:45:1-9044

Qv. VI. Quomodo differat juramentum in litem extraordinarium a
 in litem ordinario sive affectionis?

RESP. In eo; quod hoc pœna doli, Laut. pag. 192. lit. P. illud ve-
 ro loco rei sit, Laut. pag. 194. lit. c. Unde (1) illud præstatur
 etiam ob culpam levem, quin levissimam; quia loco rei est, quæ ex
 culpa non restituitur. (2) Estimatur ibi res, cujus quantitas appa-
 ret; at in posteriori affectus, quia quantitas non apparet: (3) Illud
 locum habet etiam contra hæredes, quia non est pœna doli. (4) Lo-
 cum habet etiam in stricti juris judiciis, quia rei, quæ venit in judi-
 cium, pretium est. (5) Locum habet etiam in contrariis, neque enim
 hic requiritur, ut res nostra fuerit, ut in præcedenti, sed quia id quod
 interest iis vindicatur, id quoque æstimari debet, quod fit hoc jura-
 mento; Unde (6) in omnibus negotiis etiam emto, tutela &c. ob-
 tinet; l. 4. C. act. emt. secus ac in juramento in litem affectionis.
 Vid. quæst. 4.

LIB. XII. TIT. IV.

DE

CONDICTIONE CAUSA DA-
 TA CAUSA NON SECUTA.

Qv. I. Quotupliciter conditio in jure sumatur?

RESP. (1) Generalissime pro omni repetitione; Condicere eni-
 in jure est rem judicio repetere, a veteri judiciorum ritu, quo
 partes ipsæ diem sibi condicebant, id est simul dicebant, quo in judicio
 afforent juris experiundi causa. Brisson. de verb. sign. l. 3. voc. condi-
 cere. B. Par. in disput. de J. pœn. S. 5. §. 1. (2) Generaliter, omnes
 actiones personales ea voce intelliguntur, a formula condicendi: §. 15.
 Inst. tit. de Act. Nam postquam actiones reales a peculiari ritu vin-
 dicationes dictæ sunt, nomen condictionis proprium fuit personalium,
 Dn. Cocceji d. S. 5. §. 1. (3) Specialiter autem conditiones dicuntur
 illæ actiones personales, quibus agitur dari, i. e. dominium transferri
 oportere. d. §. 15. Vid. q. seq.

Cocce. J. C. P. I.

N n n n

NOT.



NOT. Harum condictionum quædam sunt *principales*, uti regulariter, quædam vero sunt *qualitates*, aut nomina, *aliarum actionum*, uti conditio certi ex mutuo, conditio triticiana, &c. Vid. *infr. q.*

Qv. II. Quidnam sit conditio?

RESP. Condiçiones sunt actiones personales, *d. §. 15.* Juris gentium, *l. 25. §. f. Rer. am. l. 1. §. f. cond. sine caus.* aliud nomen non habentes, *d. l. 25.* quibus quis ex pœnitentia vel ex defectu cause rem repetit; indeque eam, utpote sine justa causa in alterum translatam, sibi dari intendit; *l. 66. cond. ind.*

Jure civili enim nullum remedium dabatur ei, qui sua voluntate, etsi sine causa, dominium in alterum transtulit, & translato voluntate mea in alium dominio, res mea esse desit, quia dedi non animo repetendi, sed solvendi in perpetuum. Attamen quia in his casibus deficit justa causa obligationis, ex naturali ratione res mea manet, & cum alter sine justa causa teneat, condicere eam possum, possessor autem, qui revera plus suo habet, indeque aliquid alieni tenet, eam restituere tenetur ei cui abest: Atque id non quidem certa formula juris civilis petitur, sed condicione juris gentium; *l. 25. in f. ff. Rer. am.* Neque enim quicquam magis naturale esse videtur, quam ut ei jus reparetur, cui illud sine justa causa imminutum, & jam non integrum est. *B. Par. d. disp. S. 5. §. 2. & 3. l. 1. ff. Cond. sin. caus. l. 6. ff. cond. ob turp.* Atque hæc ratio additur in *l. 32. ff. R. C. quia pecunia mea, quæ ad te pervenit, eam mihi a te reddi æquum & bonum est. Conf. d. l. 25. & l. 65. §. 4. ff. cond. ind.*

Omnium ergo condictionum fundamentum est, quod sine causa res sit penes alterum: Idque porro vel ex eo apparet, quia conditio sine causa cum omnibus reliquis concurrat. *l. 1. pr. §. 1. & seq. l. 4. h.* Dubia, quæ occurrunt, magis perspicuam hanc sententiam reddunt, & cum nervose a *Beato Parente dict. Sect. 5. §. 4. & 5.* soluta sint, verba ejus huc referam: Ita vero ait:

Equidem videtur per eas, scil. condiciones, magis interversa omnis justitiæ & juris Gentium ratio. Quid enim magis contrariam est justitiæ, qua suum cuique tribuitur, quam vero domino invito jus suum auferri, & dari non domino; quod fit per condiciones, quæ dantur non domino contra verum Dominum: *§. 14. de action. quin,* quod plus est, dantur ei, qui ipse sua voluntate dominium

minium in alterum transtulit, quod ut ratum sit, nihil magis naturale est. §. 40. de Rer. div. per conditiones autem sit irritum & revocatur. Verum ex iis, quæ tractata sunt, solvantur hæc omnia: et si enim voluntate domini rem ejusque dominium acceperit, justa tamen causa deficit; quia vel voluntas domini opinione justæ causæ decepta, vel negotium, causa, ob quam dominium quaesivisti, non secuta, imperfectum fuit; vel quod ex turpi causa nactus es, retinere nequis: Neque enim juris Gentium ratio permittit, ut constans & irrevocabile dominium acquirat, qui justam causam non habet.

Cur ergo, inquires, non potius impeditur domini translatio, & tradenti dominium salvum est, si non justa causa res tradita est? nam & hoc ipsum pro regula traditur in l. 31. princ. ibi: *justa causa præcesserit. ff. de Adq. rer. dom.* Nec dissimulari potest, si merum jus naturæ exentiatur, convenientius videri, ut ne dominium transeat, sed res tradita potius vindicetur. Verum longe satius visum fuit Jctis Romanis, aliisque gentibus, dominium potius transferri & condici, ac in personam agi, quam non transferri, & vindicando possessorem conveniri, qui singulis momentis mutari, eoque omne judicium eludi posset: Ex hac enim causa in mentione quoque & similibus contractibus juris gentium, licet verè ejus ratione spectata, jus in ipsam rem emtori quaesitum videatur. Vid. *Post. 8. ad jus Gent.* placuit tamen, ut actio tantum in personam inde detur. Quin ab eadem utilitate est, quod in ipsis quoque actionibus realibus placuit, ut facultas sequendi possessorem sistatur lite mota, quæ cum eadem persona peragenda est, nec mutata possessione amplius mutari potest; adeo ut nec alienatio ante litem facta mutet judicium, si ejus mutandi causa facta fuerit. *tot. tit. ff. de alien. jud. mut.* Alias enim possessor conventus, illico alienando evitaret judicium, & ita porro alter possessor, & reliqui in infinitum, nec unquam lis exitum inveniret. Quamobrem si in his causis, ubi conditio datur, dominium ex ratione naturali non transisse dicatur, sive, ex prædicta utilitate, transisse, certum est, rem sine justa causa datam repeti & condici jure gentium posse: *Hactenus B. Par.*

His ita expositis scire interest, quando quis sine justa causa rem tenere dicatur? Fit hoc (1) cum causa, ob quam quis dedit, non fuit secuta, tunc datum vindicat ex *tit. Cond. caus. dat. etc.* (2) Cum causa secuta quidem est, sed a parte accipientis est turpis & injusta; & vindicatur res ex *tit. Cond. ob turp. & injust. caus.* item



ex *tit. de Condiç. furt.* (3) Cum ab initio nulla subfuit causa, uti cum dedi ex falsa opinione debiti, repetitur res ex *tit. de Condiç. ind.* vel si plane nulla causa est, & agitur ex *tit. de Condiç. sine caus.*

NOT. Ex his jam (1) apparet conditiones non esse ex jure civili, sed gentium, sive ipso natura. *L. 64. ff. Cond. ind. d. l. 25. in f.* (2) Sine certa forma actionis ex iis agi, non enim proprium nomen actionis invenitur, sed simpliciter repetitio datur, ita in *L. 25. Rer. am.* cessabat remedium civile rerum amotarum, & ex simplicitate juris Gentium res condicuntur sive repetuntur. Unde (3) est, quod nullæ conditiones infament, etsi delicto agatur, quia infamia ex dispositione & nota legis civilis oritur. Vid. *tit. de Cond. furt. q. 2.*

Qv. III. *An conditiones sint stricti juris?*

NEG. Sed plerumque (vid. *l. 12. t. 5. q.*) sunt arbitrariæ, quia possessores non ex fide, sed ex eo, quod res sine causa penes illos sit, tenentur. Illa autem distinctio negotiorum in b. f. & stricti juris tantum obtinet, quoties de fide agitur: uti egregie observavit *B. Par. in Hyp. Inst. tit. de Act.* Et ipse *Lauterbachius* hoc videtur fateri, dum ait *fol. 197.* venire quoque in hanc actionem fructus & accessiones, *l. 7. §. 7. h. 12. h.* quod falsum esset, si conditiones essent stricti juris.

Qv. IV. *An conditio oriatur ex præsumto consensu?*

NEG. Conditiones enim sunt ex illa æquitate, quod plus suo alter habeat, dum res sine justa causa penes eum est; quæ æquitas manet etsi constet eum animo perpetuo accepisse & alterum dominium quoque tali animo transtulisse. Vid. *sup. q. 2. Conf. sup. tit. Pact. q. 12.*

Qv. V. *Quando causa non videatur secuta?*

Laut. pag. 195. verb. Hic tamen distinguendum etc.
RESP. (1) Si dantem pœnitet, nam tunc accipiens revera aliquid alieni tenet, quod ad dantem pertinet, qui proinde datum repetere potest. Hic enim nullo modo obligatur, quia nihil accepit, nec aliquid alieni tenet, indeque pœnitere ei licet. *L. 3. §. 2. Et 3. L. 5.*

L. 5. pr. & §. seq. h. Laut. pag. 197. pr. (2) Si accipiens non praestet, nec a sua parte causam impleat, tunc enim datum condici ab eo potest, quia id sine causa penes eum est. d. l. 3. §. 2.

Qv. VI. Quando accipiens praestitisse dicatur?

RESP. (1) Si per eum non fiat quo minus praestet, *l. 33. Reg. Jur.* exempla sunt apud *Laut. pag. 174.* & supra *tit. de Jur. quæst. 40.* Vide omnino *l. 19. tit. 2. q. 26.* uti si fiat per ipsum dantem, illeque vel in culpa vel in causa sit, *l. 2. h.* vel si paratus sit praestare, sed prohibeatur ab eo, qui jus prohibendi habet, *l. 3. §. f. h.* vel si praestatio natura impossibilis sit, *l. 8. C. Eod.* vel quia antequam fieri potuit, in perpetuum fit impossibilis. *L. 3. §. 3. h. l. 8. ff. Eod.* His omnibus casibus conditio cessat. *dd. ll.* Idque verum est, etsi causa impossibilitatis, & defectus, cur praestari non possit, sit in ipso accipiente; Atque hinc ab eo, qui 100. accepit, ut Capuam eat, si morbo vel tempestate impediatur, nihil condici potest, (quanquam penitere dans, adeoque ex eo capite repetere possit. *Vid. q. 5.*) *L. 5. pr. h.* Atque ex eadem ratione merces data advocato pro patrocinio eo praemortuo condici nequit. *L. 1. §. 13. ff. Extraord. cogn. Laut. pag. 59. in f. add. q. 9.*

Qv. VII. Quando per accipientem stare videatur, quo minus praestet?

RESP. Stat per eum (1) si ejus culpa fit impossibilis, uti si servum supplicio tradidit: *L. p. ff. h.* Item si causa semel fuit possibilis, postea vero fiat impossibilis: Unde si datum est, ut servum manumittas, & servus post id tempus, quo manumitti potuit, decesserit, repeti datum potest, quia per te stetit. *L. 3. §. 3. l. 5. §. 4. h. l. 8. l. 10. l. 11. C. h.* (2) Si causa secuta deficit, forte quod illa effectum non habuerit, uti si is, qui jam liber est, manumittitur, *l. 3. §. 5. h.* item si servus alienus traditur, *l. p. h.* Vel quod nulla sit, & jure improbata, uti si avunculo spe matrimonii dos datur, *L. f. pr. ff. Cond. fin. caus.* His omnibus casibus datur conditio, quia revera non praestitit, cum paria sint non praestare, & cum effectu vel ex probata causa non praestare, hic ergo itidem per accipientem stare videtur: Non vero (3) per eum stat, si causa impossibilitatis est penes ipsum accipientem, modo non culpa ejus contingat. *Vide quæst. praeced. Add. qu. 9.*



Qv. VIII. *An detur conditio, si dans sciverit causam, quae ab accipiente praestari debebat, esse factio impossibilem?*

Laut. pag. 196. verb. *Es dene- gatur hæc actio Es.* **N**EG. Quia habetur pro præstita, dum per alterum non fiat quo minus fiat. Falsum autem est præsumi donasse (quam rationem allegat Laut. pag. 196.) quia contrarium expresse dixit, se dare ut vicissim quid fieret: Atque hinc in *l. 8. C. h. donatum sponse*, si, cum non posset, causam non impleret, non condicitur, quia scilicet per eam non fiat, quo minus pareat, indeque causa pro impleta habetur: Equidem ratio auctoris vera est in conditione indebiti, ibi enim simpliciter & absque causa reciproca res traditur, indeque si dans sciat nihil debere, donatio fieri oportet.

Qv. IX. *An detur conditio, si dans ignoraverit esse causam factio impossibilem?*

Laut. pag. verb. *Ignoraverit, Es datur conditio.* **N**EGATUR: *L. 10. C. h.* Et hoc quoque factum a parte accipientis pro præstito habetur, quia per eum non fiat; nam ideo adjicitur, vel exigitur factum, ut alter pareat, paret autem qui paratus est facere, sed non potest. *L. 1. §. 1. h.*

OBJ. *L. 3. §. 5. h.* Ubi data pecunia sub causa manumissionis, si postea liber probetur, condici potest; ibi ergo dans ignoravit causam esse factio impossibilem, & tamen conditio locum habet.

RES. Imo causa non est factio impossibilis, nam potuit manumitti, & actu manumissio facta est, sed causa secuta non fuit cum effectu, quod non est ex impossibilitate facti, sed ex defectu dominii adeoque juris. *Conf. l. 1. §. 5. C. h.*

Hujus vero regulæ variæ sunt exceptiones, quas supra jam exposuimus: Cessat enim regula (1) si culpa accipientis impossibilis fiat. Vid. *q. 7. Laut. pag. 196. verb. accipientis Es datur repetitio.* (2) Si factum non est impossibile, sed vel ob defectum dominii, vel quia jure improbatum, præstari non potest. *dist. q. 7.* (3) Si non factum, sed res, præstari debet, eaque sit præstatione impossibilis; dans enim non aliter dedit, nisi propter rem; *l. f. ff. h.* Si ergo hæc sequi non possit, conditioni locus est: *d. l. f.* Neque hic potest dici rem haberi pro præstita, quia per eum non fiat, nam regula



la hæc in factis obtinet, (in his solis videtur paruisse, qui paratus est facere, & non potest. l. 1. §. 1. h.) non vero in rerum præstatione.

NOTA. Si impedimentum sit temporarium, & verbi gratia advocatus ob valetudinem nondum præstare factum possit, causa adhuc sequi potest sublato impedimento: l. 5. pr. h. l. 8. h. Indeque condici non potest, quod datum est. dd. ll. at integrum est danti re integra poenitere, atque ita repetere. d. l. 5. Laut. p. 196. in fin.

QV. X. An hæredes quoque jure proprio poenitere, indeque rem condicere possint?

AFFIRM. Nam (1) quod sine causa penes alterum est, repeti potest mortuo quoque dante. l. 25. in f. ff. ver. amot. l. 32. R. C. Laut. pag. etc. Atqui res data sine causa est penes accipientem quoad promissum secutum non est. Vid. rat. 4. Ergo &c. (2) Actio ex contractu vel quasi datur hæredi ex omni causa, ex qua defuncto competiit; §. 1. Inst. de perp. & temp. (quia in omne jus defuncti succedit. Vid. Carpz. p. 3. dec. 292. n. 11. seq.) adeoque & hæc conditio, quæ est ex quasi contractu, arg. pr. & §. 3. Inst. de obl. quæ quasi ex contr. uti ergo defuncto conditio ex capite poenitentia competiit, ita & hæredi. (3) In hærede non potest esse obligatio, quæ non fuit in defuncto. At defunctus non fuit obligatus accipienti, ergo nec hæres: Neque enim ab hærede incipere potest obligatio. l. 59. ff. R. §. tot. tit. C. ut act. ab hæred. etc. quia non esset successio in jus defuncti: Quin (4) manet imperfectum negotium a parte accipientis, quamdiu causa ab ejus parte secuta non est, (nam hunc accipiendo non alium sibi, nec se alteri obligare, omnemque adeo obligationis causam deficere, traditur in Disp. B. Parent. d. §. poen. S. 4. §. 2. & 3. ergo cessat obligatio; Neque enim ex imperfecto negotio jus vel obligatio oriri potest. Vid. Disp. B. Par. De Us. & diff. hod. pact. &c. Sect. 1. §. 1. seq. indeque etiam hæredi integrum est a negotio recedere & poenitere. d. disp. d. §. poen. S. 2. §. f. Accedit (5) quod non sibi solum, sed & hæredibus suis quis prospicere velle credatur. L. 9. ff. prob. Vid. Mev. p. 8. dec. 115. n. 6. Unde & (6) quicquid aliquis sibi promitti vult, perinde ad hæredes pertinet, ubi non reperitur exceptio, l. 49. ff. O. A. Mev. d. l. n. 7. qualis circa jus poenitendi non apparet. Neque enim (8) ulla ratio apparet,

Dissent.
Laut. pag.
197. in pr.
verb. ita
tamen &c.



paret, tur in jure pœnitendi hæres cum defuncto non habeatur pro una persona. *Carpz. p. 3. dec. 292. n. 11. seq.* Et cum (9) non tantum ipsi contrahentes, sed & hæredes, condictione vel actione prescriptis verbis ad perficiendum contractum & adversarium, ut vicissim det, compellendum, agere possint. *L. 2. l. 6. C. Cond. ubi Caus. det.* cur non & ad retractandum, si contractus a parte accipientis nondum sit impletus. *Carpz. d. l. n. 9.* Sed & (10) uti in precario ipse, qui dedit pœnitere & repetere potest, ita multo magis ejus hæres. *L. 12. §. 1. ff. precar.* Atque hæc doctrina (11) in praxi quoque observatur: Ita enim in Curia Vismariensi decisum refert *Mev. part. 8. dec. 132. n. 9.* & in scabinatu Lipsiensi ita pronunciatum ait *Carpz. p. 3. dec. 292.* Eamque sententiam late tuentur *Clud. de Condict. 1. c. 3. n. 51. Jaf. ad l. 5. pr. n. 2. h.* Conf. late *Disp. B. Par. de Pœnit. in Contr. S. 5. §. 7.* Quicquid dissentiat *Laut. h. pag. 197. ibique Coll. Jur. Arg. Boccr. Et Prantz. quibus addatur Don. l. 14. Comm. 22. in f. Parius cent. 3. q. 97. in f. Et alii d. disp. S. 5. §. 6. allegati.* Conf. *Stryk. U. M. h. §. 3. Et 7.*

OBJ. (1) *L. 3. ff. Serv. export. ibi: si is qui vendidit in eadem voluntate perseveret, hæredis voluntatem non esse exquirendam:* Hæres ergo non potest mutare voluntatem defuncti indeque nec pœnitere.

Varia hic Doctores RESPONDENT; Vide *Mev. d. l. in pen. & Carpz. d. l. n. 19.* At non opus est cum iisdem ad favorem libertatis provocare, alia via res clara erit; Loquitur enim textus de casu, ubi ipse servus a domino suo alii donatur vel venditur sub lege manumissionis, (non vero ubi res data est ut servus manumittatur) & tunc lapso die fit liber, quia dominus hanc legem traditioni sui servi dedit. *Conf. l. 2. C. si manic. ita fuer. al. & l. 5. §. 2. h.* Indeque hæres amplius pœnitere nequit.

Nec huic responsioni OBSTAT *l. 3. §. 3. h.* ubi qui dat ea lege, ut manumittat servum, condicere datum & sic pœnitere potest.

RESP. Ibi res datur, ut alterius servus liberetur, si ergo accipiens non manumittat, & dans & ejus hæres condicere datum potest. Secus vero in casu *d. l. 3. ff. serv. exp.* Ubi suam servum dedit, ut liberetur, tunc lex adjecta facit, ut servus post diem ipso jure liber sit, hoc jus in eventum servo lege domini quæsitum, hæres ei auferre nequit, sed ille solus, qui legem dedit.

OBJ. (2) *L. 32. §. 2. seq. Don. int. conj.* Ubi hæres non potest contra defuncti voluntatem venire.

RESP.



RESP. In causis, quæ morte confirmantur, cessat pœnitentia; donatio enim a conjuge facta invalida est inter vivos, nec jus in conjugem ea transfertur; *l. 1. ff. don. int. conj.* at in momento mortis confirmatur, & validum jus conjugi acquiritur, *d. l. 32. §. 2. l. 9. §. 2. l. 10. ff. Eod.* quod proinde hæres sua pœnitentia auferre nequit.

OBJ. (3) Quod voluntas morte tollatur.

RESP. Inde contrarium sequitur exemplo precarii, nam ideo quia defunctus amplius velle non potest, hæres ejus repetere & pœnitere potest. *L. 12. §. 1. ff. precar.* Nec conditio hæc est ex cessatione voluntatis, sed ex defectu obligationis, uti in rationibus plenius explicavi.

OBJ. (4) Quod pœnitentia cohæreat personæ, & cum ea exstinguatur. *L. 4. ff. Locat.*

RESP. Conditio ex capite pœnitentiæ, quæ defuncto competiit, & rei persecutionem continet, personæ non cohæret: Sed si defunctus jus condicendi seu pœnitendi ex defectu obligationis habuit, idem jus transit in hæredes, nam ubi defunctus non fuit obligatus, nec hæres obligabitur, *dist. disp. de jure pœnit. Sect. ult. §. pen.* Vid. quoque *Carpz. d. l. n. 15. seq.*

Qv. XI. Quibus & adversus quos detur conditio?

RESP. Omnes conditiones, quæ quasi ex contractu sunt, dantur *Laut. pag. 197. verb. Datur* (1) iis, qui aliquid dederunt. *L. 2. l. 3. C. h.* Si vel sine causa dederunt, vel causa secuta non est. *ad. ll. l. 65. in f. ff. cond. ind.* (2) hæc conditio etc. iis, qui nihil dederunt, sed quorum negotium est: Ita hæres condicit, quod minor contra aditionem hæreditatis restitutus legati nomine ex testamento solvit. *L. 5. Cond. ind.* ita dominus servi condicit nummos, quos hic pro libertate ex testamento invalido consequenda, ab alio rogavit & solvit. *L. 53. ff. Eod.*

Sed & porro conditio datur (1) adversus eos, qui aliquid indēbite acceperunt. *L. 8. C. h.* (2) contra eos, quorum nomine datum *Laut. ibid. verb. Ad-* est, etsi nihil acceperint, modo ratihabeant. Vid. *q. seq.* (3) adversus eos, a quibus res, etsi aliena, bona fide consumpta est, quia *los &c.* consumptione domini fiunt. *L. 46. l. 6. §. f. l. 3. cond. ind. l. 9. §. 1. Pign. aff.*



Qv. XII. *An si quis falso procuratori solvit, id ab ipso procuratore repeti possit?*

Laut. pag. 197. verb. Si quis falso procuratori etc. **R**ESP. Distinguenti sunt tres casus: Vel enim (1) Tu quod Titio debes, mihi ejus nomine solvis, & id a me, falso quippe procuratori adeoque indebite solutum, condices. *L. 80. §. f. de furt. l. 65. §. f. Cond. ind. vel actione furti contra me ages. L. 14. ff. h. Vid. tamen d. l. 80.*

Vel (2) Tu, cum mihi quoque debeas, Titii nomine, at citra ejus ratihabitionem, mihi solvis, & hoc casu itidem tu a me condices. *L. 9. ff. Const. pec. l. 8. C. h. l. 14. ff. h. quia meum negotium est, & ego aliquid accepi. Vid. q. praeced. Equidem condictio indebiti tibi non dabitur, d. l. 8. d. l. 14. quia revera mihi debes: sed condictio causa data causa non secuta: Nam ideo mihi dedisti, ut libereris a Titio, quæ liberatio non est secuta. d. l. 14.*

Anne vero retinere nummos pro debito meo potero?

Ex stricta juris ratione id NEGANDUM videtur, quia alia lege accepi, & obligatio Titii potuit esse fortior, a qua forte liberari magis intererat debitoris: At verius puto condicenti opponi posse exceptionem doli, dolo enim ageret, qui repeteret quod statim restitutus est, & ad quod solvendum in continenti & pure (secus ergo si illiquidum vel conditionale sit debitum) obligatur. *arg. l. 53. in f. cond. ind.*

Vel (3) Tu, cum mihi debeas, & Titii nomine mihi solvis, & Titius id ratum habet; hoc casu non a me, sed a Titio condices, jam enim ejus est negotium ejusque nomine datum est. *d. l. 14.*

Qv. XIII. *An in hac conditione quoque veniant usurae?*

Laut. pag. 197. verb. Sed non usurae etc. **N**EGATUR regulariter: *Vid. infr. tit. 6. q. 19. Nisi perceptæ sint usurae; tunc enim instar fructuum sunt. L. 34. ff. Usur. adeoque cum totum negotium hic retractetur, res cum fructibus repeti potest; Utrumque enim est sine causa penes alterum: l. 38. §. 1. ff. Usur. l. 7. §. 1. Cond. caus. l. 31. pr. ff. R. C. Aliud est, si nondum perceptæ sunt, tunc enim nulla ratione deberi possunt, l. 4. C. Cond. ob turp. ne quidem ex mora, quia usurae ex mora saltem in negotiis bonæ fidei debentur, l. 32. §. 2. ff. Usur. non vero in arbitrariis, uti hic. Vide supra q. 3.*



CONDICTIONE OB TUR-
PEM CAUSAM,Qv. I. *An haec conditio sit stricti juris?*NEG. Est arbitraria, quia est ex delicto. §. 31. *Inst. de act.* Conf. *Laut. pag. 198. verb. Stricti juris.*
*Sup. tit. 4. q. 3. §. 13.*Qv. II. *An haec conditio sit ex quasi contractu?*NEGATUR: Sed ex quasi delicto, oritur enim ex facto & causa turpi ac illicita. *L. 1. pr. h.* *Laut. ibid. verb. ex quasi contractu &c.*Qv. III. *An, si causa utrinque turpis est, melior sit conditio possidentis?*AFFIRMATUR: *L. 4. pr. h.*
OBJ. *L. 7. §. 1. l. 8. Quod met. caus.* ubi adulter repetit ab eo, cui dedit ne prodatur. *Laut. ibid. verb. Si causa re- spectu utriusque &c.*

RESP. Non agitur ibi de conditione, sed de actione quod metus causa; condici enim datum non potest, quia allegaret propriam turpitudinem, at si actione de metu agit, (si scilicet iustus metus interven- rit,) tunc vis quam allegat est in solo accipiente, neque enim metus ratione ejus, qui illum passus est, delictum est.

Quod vero autor putat hoc casu lucrum fisco cessurum, id (1) ci- tra juris auctoritatem ita asseritur. Neque (2) poenae citra juris auto- ritatem fingendae sunt, sed probari debent, ut in incestus nuptiis, *l. 4. C. incest. nupt.* & aliis ab autore allegatis legibus.

INSTO, quod tamen iniquum sit, eum qui de metu agit, ex sua turpitudine lucrum sentire.

RESP. (1) Non sentit lucrum, sed id quod dedit repetit. (2) Neque id repetit ex sua turpitudine, nam agens de metu vim ac me- tum saltem allegat, qui unice est in ferente. Vid. tamen *Stryk. U. M. h. §. 2.*

O o o o 2

Qv.

